



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Quid est vniuersale Metaphysicu]m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Respondeo negando paritatem antecedentis quoad omnia. & disparitas est, quod una pars Logicæ potest conducere ad aliam duobus modis, primo quatenus cognitio obiecti unius partis conduceret ad cognitionem obiecti alterius partis propter connexionem, quam ista obiecta haberet inter se; secundo quatenus obiectum unius partis esset instrumentum, quo posset acquiri cognitio obiecti alterius partis, siue haberet connexionem cum ipso in ratione obiecti, siue non; una verò pars Physicæ non conducit ad cognitionem alterius partis, nisi primo modo tantum: secus est de Logica, cuius una pars utroque modo potest conducere ad acquirendam aliam partem.



TRACTATUS DE PRÆDICABILIBVS.



ORPHIRIVS Philosophus, secta Platonici, religione aliquando Christianus, à qua tamen postea defecit; cum videret ad pleniorē ac faciliorem intellectiōnem libri Prædicamentorum Aristotelis, tyronibus valde profuturum, si quinque termini aut voces, de quibus in illo libro frequens occurrebat mētio, nempe *genus, species, differentia, proprium, & accidens*, & aliqua ad ea spectantia seorsim explicarentur; breuē tractatū de ipsis scripsit, quem *Ilagogen* seu introductionem vocauit, eo quod multum deseruiat Logicæ studiosis ad cognitionem libri Prædicamentorum, ac consequenter totius Logicæ introducendis. Hæc ergo *Ilagogen* modo explicanda est.

Vniuersale ut sic est obiectum adæquatum huius tractatus.

Controuertitur autem de obiecto adæquato huius tractatus, sed omisso quæstionis parum vtilis longiori examine, tenendum est nobis cum Doctore nostro vniuersale ut sic, esse obiectum eius adæquatum (ex suppositione quod aliquod vnum obiectum sit assignandum pro adæquato cuiuslibet scientiæ totali) quia omnes cōditiones obiecti adæquati ipsi conueniunt: est enim vnum quod cōplectens omnia quæ in hoc tractatu per se cōsiderantur, habetque proprietates de se demonstrabiles: & licet à Porphyrio nō fuerit definitū, definitur tamē in aliis partibus Logicæ, & propterea non erat necesse ut ab ipso hic definiretur. Quamuis autem grauiorē difficultates, quæ moueri possent de vniuersalibus, consulto omiserit Porphyrius, quod captū Chrysostomi, nobilis adolescentis Romani, ad quē hunc libellū direxit, excedere videretur nec omnino essent necessariæ ad intelligēda prædicamēta: cōmuni tamen authorū huius ætatis methodo, quantum ad hoc, insisterēdo, illas etiam examinare opportūnum iudicauit. Itaque totum hunc tractatū sex disputationibus absolui; quas tamen facilioris citationis causa continuabo quantum ad numerum cum præcedentibus duabus, sicut & reliquas Logicæ cum his.



DISPUTATIO III.

De Vniuersali ut sic.



Vniuersale ut sic dicitur ex eo, quod dicat ordinem ad plura: quia vero multipliciter aliquid potest respicere plura, seu dicere ordinem ad illa, hinc multipliciter capitur vniuersale, quoddam enim est cōplexum, quoddam incomplexum. *Vniuersale complexum*, est aliqua propositio, ex qua multæ aliæ propositiones deduci possunt, ut, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quod est principium satis vniuersale in omnibus scientiis. *Vniuersale incomplexum* est aliquid vnum, quod non est propositio, dicens tamen ordinem ad plura, & diuidi potest in *vniuersale in causando*, quod scilicet causare potest plures effectus diuersarum specierum, vel se

Vniuersale est multiplex.

Quid vniuersale complexum.

Quid incomplexum.

solo ut Deus, vel cum aliis causis determinatibus, ut Sol; & in *vniuersale vel significando*, seu representando, quod scilicet potest significare, aut representare plura, siue hoc faciant naturaliter, quemadmodum species tam expressa, quam impressa hominis representat naturaliter omnes homines, siue ex instituto aut beneplacito, ut vox *homo* significat omnes homines; siue alio quouis modo, & in *vniuersale in prædicando*, quod est aliquid potens prædicari de pluribus, ut homo potest prædicari de Petro & Paulo; & in *vniuersale in essendo*, quod est illud quod potest inesse pluribus, ut homo, inest Petro & Paulo, qui alias de ipsis vere prædicari non posset.

2. Ex his autem pluribus vniuersalium acceptionibus per se agitur in hac disputatione de vniuersali in duabus vltimis acceptionibus, quatenus scilicet est aliquid prædicabile de multis, & potens inexistere multis. Quia verò prius est rem inexistere multis, quā prædicari de multis; propterea enim potest prædicari vere de multis, quia potest inexistere multis; idē prius de vniuersali in essendo, quod vocatur Metaphysicū, quā de vniuersali in prædicando, quod vocatur logicum, tractandū est. Et si quærat cur vniuersale in essendo vocetur Metaphysicū, & in prædicando logicū cōmuniter responderi solet rationē esse, quod Metaphysicæ sit considerare proprietates rei abstractas à materia cōpetentes ipsi secundū se sine ordine ad actum intellectus, qualis est aptitudo inexistendi multis, quam habet vniuersale in essendo, quātale præcise & formaliter, & quod Logicæ sit agere de proprietatibus competentibus rebus ut dicunt ordinem ad actus intellectus comparatiuos, qualis est aptitudo prædicandi de multis, quam dicit vniuersale in prædicando quātale.

Sed siue hæc sit vera causa huius nominis, siue non, sufficit iam ita capi communiter utrumque vniuersale.

QVÆSTIO I.

Quid est vniuersale Metaphysicum.

CONCLUSIO

3. *Bene describitur vniuersale Metaphysicum esse aliquid vnum aptum inesse multis.* Ita communis cum Philosopho 7. Met. tex. 45. & patet, quia omni & soli conuenit, sufficienterque declarat naturam eius, ut patet ex eius explicatione.

Dicitur *aliquid*, per quod intelligitur aliquod reale positium; unde excluduntur à ratione vniuersalis hic definiti negationes, priuationes, & entia rationis; quamuis enim possit dari aliqua ratio vniuersalis communis omnibus aut aliquibus entibus rationis, quæ esset vniuersalis respectu ipsorum, & similiter alia ratio communis omnibus negationibus ac priuationibus: nihilominus hic de solo vniuersali positiuo per se agitur, quia illud solum est quod spectat per se ad cognitionem prædicamentorum, & quia ex cognitione eius facile deueniri potest in cognitionem illorum aliorum vniuersalium.

Dicitur *vnum*, ut excludantur entia, quæ sunt vnum per accidens, ut tam quæ cōponuntur ex entibus diuersorum prædicamentorum, v.g. album, dulce, quàm quæ componuntur ex entibus vnius prædicamenti, sed non dicentibus ordinem per se ad cōpositionem, v.g. aceruus lapidum, exercitus, & similia. Quamuis enim aceruus lapidum ut sic, possit esse communis vniuersalis huic & illi aceruo, exercitus ut sic communis huic & illi exercitui, & album etiam ut sic, commune huic & illi albo; tamen hic non placuit Philosophis agere de vniuersali, quod esset sic vnum, nec eius consideratio vere, ad institutum spectat, quod solum tendit ad considerationem eorum, quæ ponuntur in prædicamentis: quæ autem sunt vnum per accidens ut sic, non ponuntur in prædicamentis, ut postea dicemus.

4. *Quod si quærat, an vnum illud, quod est vniuersale hic descriptum, debeat esse quid completum;* quamuis aliqui teneant partem affirmatiuam, tamē negatiua nobis præferenda videtur, quia vniuersale hic definitū, est quid comprehendens sub se quinque species, de quibus postea,

Quid vniuersale in causando.

Quid vniuersale in significando.

Quid vniuersale in prædicando & essendo.

Cur vniuersale in essendo vocatur Metaphysicum, & in prædicando Logicum.

Descriptio vniuersalis metaphysici.

Vniuersale ut sic non debet esse quid completum.

postea, de quatuor qualibet predicatur vere quod sit vniuersale: sed certum est ex ipsis aliquas, nimirum differentiam, & proprium non esse quid completum, nec poni etiam directe in predicamento villo: ergo vniuersale hic definitum non debet esse quid completum, nec directe ponibile in predicamento. Et per hoc ruit aduersa sententia fundamentum, quod erat, vniuersale hic definitum per se esse quod directe collocatur in predicamento.

Si etiam queratur aliterius, vtum illud vnum debeat esse quid predicamentale. Respondendum affirmative propter rationem iam dictam, nimirum quod hic agatur de vniuersalibus in ordine ad cognitionem predicamentorum & rerum, quæ in iis ponuntur, quatenus sunt de se inuicem predicabiles, vel non predicabiles.

5. Dicitur denique, *aptum inesse multis*, ad significandum quod vniuersale debeat esse talis natura, vt licet de facto non sit, possit tamen esse in multis cum sui multiplicatione, ac diuisione, sicut natura humana de facto est in Petro, & Paulo, in quibus ita reperitur diuisa, vt ipsi possint dici duo homines. Vnde à ratione vniuersalis per hanc particulam excluduntur omnia individua, nã quamuis aliquod vnum individuum possit esse in pluribus locis, & in pluribus etiam subiectis, siue in hac, siue in illa, vt si vna numero albedo esset in duobus parietibus, siue informationis, vt si eadem numero forma substantialis esset in pluribus materiis, tamen nunquam posset in illis multiplicari, ita vt posset dici quod essent plura individua in pluribus illis locis aut subiectis.

Et hac ipsa ratione excluditur essentia diuina, quæ de facto reperitur in pluribus personis diuinis realiter inter se distinctis, identificata realiter ipsis, tamen nō multiplicatur nec diuiditur in illis, quia vt fides Catholica docet, non est verū dicere, quod sint tres essentia diuine in illis personis, aut quod illæ tres personæ sint tres Dii. Non vero excluditur à ratione vniuersalis natura Solis, quia licet de facto nō reperiatur in pluribus indiuiduis, nec possit etiam naturaliter in pluribus reperiri, tamen nemo dubitat quin Deus possit ipsam ponere & multiplicare in pluribus indiuiduis, hoc autem sufficit vt habeat aptitudinem existendi in pluribus, de qua hic agitur, quidquid dicat alij qui requirunt aptitudinē existendi in multis per potentiam naturalem sine villo fundamento recedentes in hoc à cōmuni sententia, & restringentes acceptionem vocabuli, seu nominis *Vniuersalis*.

6. *Quæres an vnitas ac aptitudo, quæ ponuntur in definitione hac nostra ac cōmuni Vniuersalis, sit de eius essentia?*

Ad hanc difficultatem vt respondeatur, præsupponendum est cum cōmuni sententia Vniuersale esse nōmē concretum, pro materiali dicēs ipsam naturam, quæ talis dicitur, v.g. naturam hominis vel naturam animalis pro formali vero vniuersalitatē seu formam, à qua dicitur vniuersalis. Itaque si loquamur de vniuersali materialiter, hoc est de illa natura, quæ dicitur vniuersalis, certū est nec vnitatē nec aptitudinē esse de eius essentia, sed ad summum proprietatem; si vero loquamur de vniuersali formaliter, quādoquidem vt sic nihil aliud dicat quam ipsam vnitatē ac aptitudinē, non debet dubitari quin illa sint de eius essentia, sicut albedo est de essentia albi materialiter: nec de hoc credo aliam posse esse quæstionem quam de nomine.

Q V Æ S T I O II.

De vnitate naturæ vniuersalis.

1. **D**iximus naturam omnem, quæ denominari potest vniuersalis, debere esse vnum quid: vnde hic examinabimus quam vnitatē debeat habere, aut quomodo debeat esse vnum.

Pro quo aduertendum, quod secundū omnes, res vna nihil aliud sit quam res indistincta, seu indiuisa in se & distincta seu diuisa à qualibet alia re, v.g. quia Petrus est quid indiuisum in se, & distinctum seu diuisum à Paulo & quibuscumque aliis rebus, propterea dicitur esse vnū; quia vero Petrus & Paulus non sunt in se indiuisi, sed potius diuisi, quāuis distinguantur à quibuscumque aliis, non sunt quid vnum, vnde vnitas est illud, à quo habet

res formaliter esse sic in se indiuisa & distincta à quibuscumque aliis quāuis autē cōtrouertatur, an illud, à quo res habeat esse vna, sit quid negatiuū, vt v.g. negatio diuisionis in se & identitatis cum aliis, vel quid positiuū, tamen quia illa controuersia non conducit ad propositum remittenda videbatur ad Metaphysicam.

8. Aduertendū vltius, rem quamlibet posse distinguī ab aliis rebus, & per principia sua formalia ac essentialia per principia sua materialia ac indiuidualia, vnde potest cōsiderari res & secundū vnitatē formalem, vt secundū vnitatē indiuidualem, seu numericā v.g. Petrus differt à Bucephalo & secundū principia sua essentialia, quatenus scilicet essentia ipsius est dissimilis essentia Bucephali, & secundum principia indiuidualia, quatenus scilicet non facit vnū numero cū Bucephalo. Prior vnitas cōpetēs rei ratione essentia vocatur formalis, quia sequitur essentia rei, quæ forma ipsius dicitur, secūda vocatur materialis, quia sequitur indiuidualitatem, quæ vocari potest materia metaphysica rei propter proportionē, quam habet cum materia physica, quæ proportio in hoc consistere potest, quod quemadmodum nō possumus colligere nec identitatem specificam rerum materialium subnatiū ex materia, quandoquidem omnes includant materiam eiusdem rationis: ita etiam ex differentis indiuidualibus non possumus colligere differentiam specificam aut essentialē, nec etiam identitatem vllarum rerum. Vocatur etiam illa vnitas materialis vnitas numerica, quia est principium numeri, & ideo vocatur principium numeri, quia numerus proprie loquendo est multitudo rerum singularium realiter distinctarum.

Hinc sequitur quod quæcūque non distinguuntur per principia indiuidualia, sint vnum numero, & quæcūque non distinguuntur per principia formalia, seu essentialia sint vnū formaliter, & essentialiter. Quia vero in essentis rerū solē includi plures formalitates, vt in essentia hominis includitur animalitas & rationalitas, hinc fit, vt aliquid possit distinguī ab alio secundum aliquam formalitatem vnā ex formalitatibus inclusis in sua essentia, licet non distinguatur secundum aliam formalitatem v.g. homo distinguatur ab equo formaliter & essentialiter non secundum animalitatem, sed secundum rationalitatem & propterea licet non sit vnum cum ipso in rationalitate, est tamen vnum cum ipso in animalitate: hæc tamen vnitas in animalitate non impedit, quo minus dicatur simpliciter diuisus & distinctus formaliter & essentialiter ab ipso, nã illud dicitur distinguī essentialiter ab alio, quod non est eiusdem essentia cum ipso: quāuis autem homo, & equus conueniant in animalitate, quia tamen animalitas non est essentia hominis aut equi, licet sit de essentia eorum propterea simpliciter potest dici quod non sint eiusdem essentia.

10. Aduertendum tertio illam vnitatē esse vnitatē naturæ vniuersalis, secundum quam aliqua natura potest inesse multis, in quibus tamen multis numeretur, & de quibus multis predicari possit, vnde si natura humana, quæ multiplicatur in omnibus indiuiduis hominū existentibus & possibilibus, nō obstante illa multiplicatio, ne habeat aliquam vnitatē in illis indiuiduis, aut si illa indiuidua, nō obstat quod sint plura numero, & distincta & diuisa per principia materialia, habeant aliquam vnitatē in natura, illa vnitas erit sufficiens vnitas pro vniuersalitate: & vltius si illa vnitas sit à parte rei, vnitas vniuersalis erit à parte rei: si verò illa vnitas sit per intellectum, tum vnitas vniuersalis sit per intellectum, quod si nec sit à parte rei, nec fieri possit per intellectum, tum certum est quod non detur vniuersale vlla ratione nec à parte rei, nec per intellectum. His suppositis.

11. *Prima sententia* est, vnitatē requiritam ad vniuersalitatē aduenire naturæ per operationem intellectus, & naturam à parte rei non habere illam vnitatē. Hæc videtur esse cōmuniissima sententia. *D. Tho. de ente & essentia cap. 4. opusculo 42. Soti quæst. 2. vniuers. Tol. qu. 2. fund. 4. Conybricen. quæst. 3. Masij scilicet 2. Suariz disput. 6. Met. Auerse quæst. 8. vniuers. scilicet 8. Compluten. disput. 3. qu. 5. Ioannis à sancto Thoma quæst. 3. articul. 3. Arriaga disp. 4.*

Debet esse quid predicamentale.

Cur essentia diuina non sit vniuersalis.

Natura solis est vniuersalis.

Vniuersale est nomen concretum.

Vnitas & aptitudo sunt de essentia eius formaliter considerari, non materialiter.

Quid sit esse vni.

Quid vnitas formalis.

Quid materia.